


DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ Februarii anni M. DCC. XXXIV.

M. RAYMUNDO DE LA RIVIERE, Doctore Medico, Præſide. autore.

An à ſpirituum animalium inordinatione Tympanites?

I.



SANAT qui noſcit morborum cauſas, non ſanat qui neſcit. Indè quò abſtruſior morbi cauſa, eò difficilior curatio; eò verò facilior, quò patet illa magis. At ſæpè dùm patentem credimus arripere, fugit & abſconditur intimiùs; dùm ſcrutamur abſtruſam, ſæpè aut falſâ nos deludit imagine, aut varias induendo larvas errores mentitur varios. Hinc tot tamque diverſis ſcatet Medicina ſyſtematibus, à quorum farragine veritas adeò intricata vix ſeſe explicaret, ni poſthabitis omnibus præjudiciis ad ſerium examen interdùm reduceretur. Sed in rebus Medicis non facilis præjudiciorum demiſſio, non facilis ad cauſas via. Hîc fallax *ſymptomatum* unà concurrentium

ωνδρομη sanantem ludit; hîc mendax morbi benignitas pravâ tranquillitate ægrum leniter perimit: hîc incerta crisis vitam mortemvè molita diù, salutiferas Medici manus morando detinet. Hîc tandem perfida eruptio altè in penetralibus dudùm retenta subitò cum morte micat. Quid tùm? Hæret in tali Medicus æquore: quærit causas, errorem vix, nisi cautus, declinat. In morbis enim alquando causa pro effectu, effectus pro causâ sumitur.

I I.

MIRUM-NE? infensa Natura ducit; alterque velut Leo rugiens ipsâ Medici scientiâ Medicum torquet. Dicam ampliùs: Vates infida Medici prævidet errorem, falsæque non tantùm spontè assentitur ideæ, sed & undè confirmetur abundè suppeditat. Ast, inquies: jam ergò Naturæ nulla fides; jam non audienda Naturæ vox. Absit: horridis non semper accincta telis, non semper torvum quid minatur Natura; imò quandóque levis afflans ultrò sese expedit benigna: amicam prosequor, inimicam respuo. Nunc quibus innotescat amica signis, quibus inimica, distinguere esset: jam verò illud extrà oleas. Mutat faciem pro variis morborum speciebus; in hâc amat latebras, in illâ caput effert. Nec proprias morbi sedes effodiendo occultam detegere existimes; non tam gracili cedit armaturæ; longè fugit intacta, delassatumque procul, morbi oneratum umbrâ scrutatorem aspicit. Sic latent causæ; sic in Tympanite effectus pro causâ sumitur.

I I I.

TYMPANITES, siccus hydrops Hippocratis, abdominis tumor est fixus, æquabilis, durus, renitens, & à pulsatione instar Tympani sonitum edens. Quænam sit illius tumoris materies, quânamve prosiliat scaturigine, non ita constat. Ideò à flatibus oriri vulgò creditur, quòd Tympanici conceptûs sui νοσηρῦ & tempus & modum ignorantes, quasi vento gravidi subitò appareant. Nùm reverâ flatus causa sint, nùm animum veritatis avidum convincat hæc sententia, facile mox dijudicatu erit. Ac primò quâ potissimùm gaudeant flatus speluncâ, ex vulgari systemate considerandum venit. Non eadem ab omnibus assignatur: hos enim vel in intestinorum, præsertim tenuiorum, vacuitatibus, vel intrà ipsorum *mesenteriique* tunicas, vel in abdominis cavo, flatibus, ut in *ascite* undâ, tumefacto, vel denique in texturâ cellulari Ruischianâ recondunt Assertores. Porrò relictis rationum momentis, quibus isti fidem assertioni faciunt, quasque ordine referemus domos, hospitem chimæram salutabunt. Quid, quæso, ad Tympanitem intestinorum distenta cavitas? dùm tumor fixus, constans, immobilis remanet; dùm vi plusquàm Æoliâ flatus erumpentes nec solamen ægro, nec tumori imminutionem afferunt. Quid *mesenterii* tunicarum inflatio? dùm tumoris latè diffusi moles ingens pensitatur simul; dùm illâ inflatione divulsis à se invicem membranis tormina continua, cruciatus acerrimi supponerentur. Quid ampliati abdominis immensitas? dùm nullo probari potest argumento flatuum aggestionis modus, dùm tanta aggeries acuto Paracentefeos non solvitur telo. Quid tandem textura cellularis Ruischiana? dùm non per vices gradatimque velut

accreſcit, verùm repentè adoritur tumor; dùm cellulæ humore oleoſo ſemper madefactæ tùm interno tùm externo aditum præcludunt aëri. Sed eſto: hæc flatus atria celebrent; non majus indè ſyſtemati pondus accedet. Concipe γέννησιν, & injuſtam ſuſpicionem excute. Flatus in abdomine contenti aut propriâ partes ingrediuntur, elevant, retinent potentiâ; aut partes ipſæ, quacumque de causâ in molem eductæ primariò, flatuum generationi anſam præbent. Priorem ſuſcipis hypotheſim? Erras. Quî enim certus adeò permaneret ὄγκος partium? Nonne fugitivum hoſtem *elaſticâ* vi, pondere, mole retunderent partes? Cur non exiret transfuga? Cur non, quà data porta reminiſci ſedulus, eâdem greſſus præcipitaret? Aſt inquis: nullâ auctoritate viget altera: quin adſunt repugnantiæ. Cauſam admittis; illius cauſæ flatus erunt ſimpliciter effectus; jamque flatuum damno poterit extrui Tympanites. Hanc ignoramus cauſam. Diſce, & à ſpirituum animalium inordinatione repetendam exiſtima.

I V.

IN ſpaſmodicis affectibus ἀταξίας ſubire, ἀθρόως irruere ſpirituum dos, partium intumeſcentias excitare dotis corollarium. Senſit indolem Medicorum Princeps, hoſque non immeritò ὁρμῶντας vocat. Huic genio ſua debet principia Tympanites, ab incongruo ſpirituum in fibras nerveas influxu omninò dependens. Probem? in promptu res eſt. Arguunt partium ſtructura, ſpirituum indoles, morbi *Ætiologia*. Ex omnibus imi ventris viſceribus, ſi renes, lienem, hepar tantiſper excipias, reſtat membranaceum quid, fibris majori copiâ contextum nerveis; proindéque ſpiritûs inſolentis furori magis obnoxium. Huc ille eò fertur lubentiùs, quò ampliori potitur diverticulo. Quod quidem, ſi pervium concedatur, ambit pacatè, irrorans cuncta, flexilitatem concilians, munera præſens ubique diſtribuens. Aſt impervio ſecus eſt: ſive enim alvei conſtrictione præcludatur aditus, ſive turgidæ nimiùm rumpantur fibrillæ, tunc nullis obligari legibus, impiè tunc agitare partes, ſedibus ingnari, inflare omnia. Nec effrænum terret ſoluti penitùs canalis injuria, ſævit immaniùs ultimò, pyriique pulveris affectans modos factâ fugit exploſione. His præhabitis, qui inordinatus ſpiritum curſus ad affectionem Tympanicam conferat, penè deduceres: ſed rem apertè declarant affines morbi. Illud in praxi obſervare eſt quòd tùm Hyſtericis, tùm Hypochondriacis inſultibus ſuccedat ſæpè Tympanites; ita ut ventris intumeſcentia, quæ priùs *ſymptoma* erat vagum & citò pertranſiens, demùm morbus permanens & fixus evadat. Hujus Metamorphoſeωs rationem inveſtigando mens velut filo ducitur. Quæ etenim affectûs erit Hyſterici, erit & eadem origo Tympanici. Prioris parens ſpirituum inordinatio, poſteriori favet intimiùs: dùmque repetitis ictibus pars illa concutitur, intereà mox ruptis aggeribus, totóque abdomine commoto, totus erumpit tumor. Hâc arte Tympanitem primariò efformari quid vetat? Si eâdem causâ, ſed in actu validiùs & perpetim exiſtente, ſimile quid exurgat neceſſariò.

V.

ERGO non pluris erunt flatus Tympaniti, quàm ſunt v.g. Aſthmati. Nec tamen abſonum quid adeò repetes; tanta enim eſt inter utrumque analogia, ut illud in hanc ſæpè deſinat. Quare ex hypotheſi non inficias imus;

quin, si meminero, concessum est intrà viscerum abdominis vacuola flatus posse generari. Sed præterquàm quòd ob innatam fugæ propensionem nullius ibi forent momenti; falsò etiam suspicaretur eorum præsentia, ni spirituum ope inflatis partibus, inanes istis, anteà relinquerentur viæ. At reluctantium undique catervas audio; jamque cumulato ἐπ' ἄκρον halitu tumidas eructant voces. Colicis vexatos doloribus opponunt, flatulentâque materiâ ventre onerato flatuum vim, potentiam arguunt, ostentant imperium. Prodigiosus sanè terreret apparatus, nisi hunc ad nostræ theseos normam reducere rectius esset: contendimusque non magis huic, quàm illi morbo flatus conducere. Peculiaria quædam passionis Colicæ *symptomata* insequere: urget dolor intensissimus, adsunt motus spasmodici, aut extùs quandoque conspicui, aut intùs eodem dolore specialiter designati. Quid indè? spirituum impetu distrahuntur fibræ, dilatantur intestina, coarctantur glandulæ, exit humor tenuis, in vapores abit, generantur flatus. *Opiata* porrige: relaxatis iisdem fibris passio consopita *Ecclipsim* patitur. Fortè inquires: (utrique morbo si causa similis) cur levis admodùm in Tympanite persentiatur dolor? cur non solvant, saltem ad tempus, *Opiata* Tympanitem? Ratio hæc est: In colico dolore fibræ, fortiter tensæ licèt, integræ remanent; maximâ verò ex parte rumpuntur in Tympanite. Nihil agunt *Opiata*, dùm fibrarum ruptionem sequitur explosio. Attamen in quibusdam casibus haberent locum; ut olim, post recens vulnus, Tympanitem mihimet his sanare semel contigit remediis. Itaque spirituum præda Tympanites sua spiritibus iratis debet initia, suum ab eorum existentiâ complementum habet. De hâc existentiâ forsan dubitas? Nervorum structuram, motus, actiones perpende scrupulosiùs; obscuriores operantis Naturæ modos rimare altiùs: *Archæi* spontaneas indignationes acutioribus inspice oculis. Id omne spirituum vim redolet: id omne, sublatis spiritibus, languidiorem repræsentat *mechanismum*. Sed quorsùm his diutiùs insisterem argumentis? spirituum existentia saniori Medicorum parti comprobatur; suaque pessimo jure tolleretur Tympaniti causa. Undè concludere licet:

Ergò à spirituum animalium inordinatione Tympanites.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus Le Roy de Saint Aignan.
M. David Vasse.
M. Andreas - Josephus Seron.

M. Thomas - Renatus Gasnier.
M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hispaniarum Reginæ Medicus perpetuò ordinarius.
M. Jacobus Trant, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Andreas de Laleu, Chirurgiæ Professor.
M. Petrus-Antonius Lepy.
M. Elias Col de Vilars, Chirurgiæ Idiomate Gallico Professor, Regis Consiliarius, & in ejus Castelleto Parisiensi Medicus ordinarius.

Proponebat Parisiis OLIVARIUS BOUGOURD Constantiensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1734, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.